

TITULUS III.

DE LIBELLI OBLATIONE. *

43. Nota I. In iudicio triplicem esse editionem: *actionum, instrumentorum, et rationum*. Hic autem agitur de editione actionum, quæ in libello conscribi, et iudici offerri solent. Porrò *libellus* est: Scriptura brevis, ordinata et clara continens intentionem actoris. In causa civili dicitur *civilis*, seu *conventionalis*; in criminali verò, *criminalis* seu *querimonialis*.—Libellus ex modo compositionis est duplex: *simplex*, seu *summarius*, in quo summam, et planè causa proponitur; *articulatus*, seu *positionalis*, in quo merita causæ fusè per articulos proponuntur. Ex his ille approbatur, iste verò rejicitur in R. Imper. an. 1654.

Nota II. Libellum constare tribus partibus: *narratione facti, medio concludendi, et ipsa conclusione*. In *narratione* exprimitur nomen commune iudicis, nomen proprium actoris et rei; tum refertur ipsum factum cum necessariis circumstantiis; et in causa civili exprimitur quid, quale, et quantum petatur: in criminali verò additur delicti locus, annus, mensis, dies, imò et hora. *Medium concludendi* est causa, ex qua petitur: et quidem in actione reali exprimitur causa proxima, scilicet, dominium, vel aliud jus in re, non verò causa remota, ex qua dominium quæsitum est: econtrà in actione personali exprimitur causa remota contractus, aut delicti; neque sufficit proxima, scilicet, obligatio. *Conclusio* est petitio actoris, qua requirit iudicem, quid, quale, et quantum à reo sibi præstandum adjudicet. Addi solet clausula salutaris: *Super his omnibus peto mihi jus administrari omni meliori modo, quo fieri potest*. Item addi solent clausulæ: *salvo jure addendi, minuendi, corrigendi, vel salvo jure superfluorum*. Sed hæ non sunt necessariae, quia libellus emendari potest etiam post litem contestatam.

44. Q. I. An oblatio libelli sit de substantia iudicii plenarii?

R. Affirmativè, ex c. 1. h. t. Nam utroque jure præscribitur, ut etiam patet ex l. 1. ff. de edendo; nisi causa agatur coràm Principe, qui non ligatur his solemnitatibus, vel sit notoria, vel iudex procedat ex officio nobili per inquisitionem; quia tunc libellus suppletur per ipsum officium iudicis, etc. At in iudicio summario petitio potest oretenus proponi (Clem. 2. de V. S.) Licèt lure veteri, quo vigeant scrupulosæ formulæ actionum, necesse fuerit in libello exprimere nomen actionis; hodie tamen his formulis sublatis, libellus subsistit, etsi nomen actionis non edatur, c. 6. de iudic.; cui

*—Agitur de hac materia d. 84. Car. Maximianus et 2. q. et 2. q. 8. et tit. et ff. et C. de edendo.

consonat l. 3. C. ad SC. Maced. l. 6. ff. de R. C. l. 69. ff. de fidej. et mandat. ibi: *non titulus actionis, sed debiti causa respicienda est*; nam ex contextu rei narratæ, et causa petendi sufficeret colligitur actio.

45. Q. II. An in eodem libello cumulari possint plures actiones sibi non contrariæ?

R. Affirmativè, ex l. 11. ff. de iurisd. Nam cumlatio actionum est favorabilis bono publico ad lites abbreviandas. Unde simul proponi potest petitorium et possessorium, actio injuriarum et L. Aquiliæ, actio criminalis principaliter, et civilis incidenter, actio empti et mutui, et probabiliter etiam vindicatio cum publiciana, de quo vide *disputat. meas juridicas disp. 18. contro. 3*. Reus autem sigillatim respondere debet istis actionibus; et si una plenè probata est, terminari potest per sententiam definitivam, ceteris ulteriori discussioni relictis.—Nec obstat l. 47. ff. famil. hercisc., nam tunc sententia est individua, dum una causa in libello proponitur. At contrariæ actiones, quæ se non compatiuntur, non possunt in eodem libello cumulari; aliàs actor duo contraria peteret. Tales sunt, v. g. petitio hæreditatis ex testamento et ab intestato, querela inofficiosi, et actio ad supplementum etc.

46. Q. III. Quis libellus sit vitiosus?

R. 1.º Vitiosus accidentaliter dicitur ille, qui laborat aliquo defectu sufficiente circumstantias petitionis; uti est libellus *contraria continens*, *obcurus* in verbis, *generalis*, nisi ipsa causa generalitatem secum afferat; uti in iudicio tutelæ, negotiorum gestorum, expensarum etc.; *alternativus*, quia parit incertitudinem (l. 7. ff. de injur.), exceptis quibusdam casibus, in quibus ipsum jus, vel causa alternationem inducit; ut in l. 2. rem C. de rescind. vend., ubi venditor petit, vel rem emptam restitui, vel partem justii pretii suppleri, et l. 16. ff. de pignor. ubi creditor actione hypothecaria petit vel sibi solvi, vel rem hypothecatam tradi; item in casu moræ, si res deterior facta est, hæc peti potest, vel æstimatio; et quoties incertitudo provenit ex facto alieno præsertim adversarii (l. 4. §. 4. ff. quod legat.)

2.º Libellus substantialiter vitiosus, seu omnino ineptus est, ex quo jus agendi non concluditur; adeoque inficit defectus ipsam substantiam petitionis, ità ut iudex circa nullitatem non possit ex illo ferre sententiam: ità rubr. et textus c. 15 de iud., quia sententia debet esse conformis libello (c. 31 de Simon.) Ceterum, si verba libelli explicari possint, explicanda sunt per libellantem (non tamen per ejus procuratorem, aut hæredem), ut libellus potius subsistat, quàm pereat; alioquin libellus ineptus rejiciendus, et actor condemnandus est reo in expensas, si quas fecit.

47. Q. IV. An, et quando libellus emendari, aut mutari possit?

R. 1.º Usque ad sententiam definitivam potest emendari, hoc est, corrigi declarando, minuendo, augendo; salva tamen substantia petitionis, quoad rem petitam et causam petendi: com. l. 3. C. de edendo l. 21. §. 1. ff. qui testam. fac., nam cum facile sit errare in accidentalibus, rectè jura permittunt eorum correctionem usque ad sententiam definitivam.

2.º Libellus ante litem contestatam potest mutari, hoc est, corrigi

quoad substantiam petitionis, ita ut varietur res petita et causa petendi; nam ante litis contestationem necdum strictè iudicium inceptit.

3.º Libellus post litem contestatam probabilius non potest *mutari*: ita Schmier cum citt. König, Laym. Schmalz. Pichl. et multi alii, contra Bachov Brunem. Aleiat. Menoch. Gonz. cum citt. in *c. 15 de judic. à n. 3.*, ubi docet actionem semper mutari posse usque ad definitivam, licet in *c. fin. h. t. n. 2* dicat actionem libello comprehensam emendare licere, non autem mutare quoad substantiam rei petita, aut causæ petendi. Prob. ex *Auth. C. quomodo et quando jud. : Qui semel actionem proponit, necesse habet usque ad finem litem exercere*; ergò actionem litis contestatione cœptam tenetur actor prosecui, et consequenter mutare illam non potest: tum quia litis contestatione quasi contrahitur, ut alteri parti recedere, vel pœnitere non liceat (*l. 25. ff. de R. V. l. 4. C. de juris. om. jud. et clarè Ulp. l. 52. pr. ff. de judic.*); tum denique, quia mutationes libelli valdè essent præjudiciosæ reo, lites ex litibus suscitarentur, et judicia fieri deberent super actionibus, super quibus lis non fuit contestata. Unde benè ait Paulus *l. 2. ff. de jud. : Non potest videri in iudicium venisse id, quod post iudicium acceptum accidisset; ideòque alia interpellatione opus est*, id est alio libello. Unde si actor, priori actione omissa, aliam vult intentare, refusus reo expensis, novum libellum formare debet. Excipe, nisi ob qualitatem causæ jus permittat transitum ab una actione ad aliam, sicut à petitorio ad possessorium, et econtrà; quo sensu procedit *l. 12 in fin. ff. de acq. poss. l. 18. §. fin. ff. de vi arm. c. 5. de caus. poss. l. 4. §. fin. ff. de noxal. act. l. 84. §. 5. ff. de legat. 1.* Alia jura procedunt vel de mutatione accidentali seu emendatione libelli, vel restringenda sunt ad iudicium quasi cœptum ante litem contestatam, ut *l. 3. C. de edendo, §. 35 inst. de action. etc.*

48. Q. V. *Qui sint effectus libelli?*

R. Hi præcipui: 1.º Libellus reo delatus obligat actorem ad prosecutionem causæ, et contra illum probat. (*Auth. qui semel, C. quomodo et quand.*)—2.º Obligat quoque iudicem ad ferendam sententiam conformem eidem libello quoad rem petitam, causam petendi, et actionem institutam, (*c. 31 de Simon. l. 18. ff. com. divid.*)—3.º Interrumpit præscriptionem, de quo infra *tit. de præscr.*

De in jus vocando.

49. Quamvis in jure Can. sæpe mentio fiat citationis judicialis, tamen nullus specialis titulus de illa extat, adeòque ex jure civili supplendus erit. Est autem citatio: Actus legitimus, quo quis mandato iudicis, juris experiundi causa vocatur in iudicium. Ita com. ex *l. 4. ff. de in jus vocando*. Citatio dividitur:—1.º In *citationem juris*, dum lex ipsa intra certum terminum vocat, sicut *c. 4 de elect. in 6* citantur iupugnatores electionis; et *citationem hominis*, dum iudex citat vel generaliter, vel specialiter, seu personaliter.—2.º In *verbalem*, quæ fit scripto, vel oretenus; et *realem*,

quæ fit per capturam, seu apprehensionem rei ob delictum, æs alienum, vel aliam justam causam.—Verbalis subdividitur, in *privatam*, quæ fit per apparitorem; et *publicam*, quæ fit per vocem præconis, seu per *proclama*, vel per edictum in locis publicis affixum, et hæc vocatur *edictalis*.—3.º In *simplicem*, qua reus vocatus citra notam contumaciæ potest non comparere, donec veniat ulterior terminus usque ad tertiam vicem; et *peremptoriam*, quæ pro tribus simplicibus interponitur, et absolutam comparendi necessitatem reo imponit.

Cuilibet citationi simplici assignantur decem dies, peremptoriæ vero triginta, licet iudex, consideratis circumstantiis, terminos istos possit ampliare aut restringere.

50. Q. I. *An citatio absentis sit necessaria ad valorem iudicii?*

R. Affirmativè, ex *can. 2 caveant, 3. q. 9. et Clem. 2 de sent. et re jud.*, ubi sententia contra absentem non citatum prolata dicitur esse nulla, cum nullus inauditus sit condemnandus. Si autem reus præsens est, et statim respondere velit, non opus est alia citatione: si autem dicat se non esse paratum ad respondendum, citandus est solemniter. Porrò, in decreto citatorio exprimitur nomen iudicis, actoris, rei, causa saltè in genere, locus, et dies iudicii; libellus autem actoris potest, sed non necessariò debet mitti reo vocato. Reiff. à n. 55.

51. Q. II. *Qui citari possit à Iudice, et ubi?*

R. 1.º Citari potest omnis et solus jurisdictioni citantis subjectus, reus quidem principaliter, et præter hunc omnes, quorum interest, (*arg. l. 47. ff. de judic.*); nam citatio est actus jurisdictionis contentiosæ et coactivæ, ergò exerceri non potest, nisi in subditum; porrigi autem debet ad eos, quorum interest.—2.º Ob eandem causam iudex in alieno territorio non potest conficere decretum citatorium, multò minùs reum citare realiter per capturam, quia *extra territorium jus dicenti impunè non paretur* (*l. fin. ff. de jurisd.*). At si reus in alieno territorio moretur, mitti ad illum potest nuntius cum litteris citatoriis, siquidem exequutio ista non est actus jurisdictionis, vel requiri potest Iudex alterius territorii, ut reum citet, et cogat ad comparendum. Olim certæ personæ absolutè exemptæ erant à citatione: ut consules, prætores, et alii magistratus majores, uxorem ducentes, sacris operantes, funus familiare comitantes, alibi causam agentes, domi suæ quietè viventes, siquidem *de domo sua nemo extrahi debet* (*l. 2. 3. 18. et seqq. ff. de in jus voc.*) Aliæ autem vocari non poterant, nisi cum venia Prætoris: ut parentes, patroni, et generaliter eas personas, quibus reverentia præstanda est sine jussu prætoris in jus vocare non possumus (*l. 4. §. 1. l. 5. et seqq. l. 14. ff. eod.*) Hodie omnes isti in jus vocari possunt, modò in supplicatione pro impetranda citatione, debita his personis reverentia exhibeatur, licet actu sacris operantes, et uxorem ducentes non sint vocandi, sed vocatio in aliud tempus differenda.

52. Q. III. *Quando locus sit citationi reali, edictali, et peremptoriæ?*

R. 1.º Citatio realis fit solùm auctoritate publica iudicis ordinarii in delictis gravioribus: in causis autem civilibus tunc solùm dum reus est contu-

max. suspectus de fuga, vel ob aliam justam causam: ita com. ex *l. fn. C. de exhib. reis*. Judici autem delegato non permittitur citare realiter, nisi in quibusdam casibus, ut specialis mandati de capiendo, et dum juris necessitas partes cogit ad personaliter comparandum, vel dum causa criminalis delegatur (*c. 1. de jud. in 6.*) Jam si privatus aliquem incarceret, committit crimen capitale privati carceris (*l. un. C. de privat. carc.*), nisi in flagranti delicto deprehensum, aut de fuga suspectum ea intentione capiat, ut infra 20 horas eum judici sistat.—2.º Citatio edictalis fit in casu necessitatis, dum reus aliter citari non potest: ut si malitiosè latitet; per se, vel per alios impediatur, ne citatio ad eum perveniat; vel in loco non tuto, quo nuncius mitti non potest, moretur; et tunc edictum à nuntio prælectum, saltè in duobus vel tribus locis publicis affigitur per duos vel tres dies ibi permansurum (*Clem. 1. de jud. Extrav. un. de dol. et contum. int. com. Auth. qui semel, C. quomodo et quando.*)—3.º Citatio peremptoria fit in casibus extraordinariis, dum judex ob justam causam non vult uti tribus citationibus simplicibus, sed una, assignato sufficienti termino ad comparandum, qui terminus in Camera Imp. est 60 dierum, ex R. J. an. 1654. §. 36.

Ex const. Bened. XIV. *Romanæ* (21. Dec. 1745. à §. 5. ad §. 13.), citationes camerales typis impressæ attendi debent in partibus ditionis Ecclesiasticæ in causis, in quibus Auditor cameræ est judex competens etiam in prima instantia, licet à nullo ex iudicibus ipsius Auditoris, imò nec ab eorum notariis subscriptæ sint: sicuti et in sequentibus causis coràm Cardinali signaturæ Præfecto:—1.º nempe cum petitur supersessoria ad effectum adeundi plenam Signaturam:—2.º cum citatur pro subdelegatione iudicis in partibus in gradu recursus:—3.º cum petitur declarari causam spectare ad unum potius, quàm ad alium iudicem:—4.º cum petitur purgatio attentatorum in spretum ipsius Signaturæ commissorum.

Non sunt tamen attendendæ:—1.º si præventum fuerit mediante legitima citatione coràm Signaturæ Legatorum aut Vicelegatorum tribunali, vel si ipsi in causa jam rescripserint:—2.º si in causis tan summæ appellabilis, quam recurribilis petatur supersessoria, vel subdelegatio, antequam judex de partibus definitivè pronuntiet; benè tamen si definitivè pronuntiaverit, etiamsi in his petendis intervenerit error partium, qui supplendus erit à dicto Signaturæ Præfecto:—3.º si agatur de summa non excedente scuta quinque monetæ currentis in partibus:—4.º si jam adsint in causa duo iudicata consequutiva et conformia:—5.º si agatur de mercede diurna, vel menstrua, vel alimentis futuris:—6.º si agatur de restitutione depositi, etiam irregularis, aut de solutione schedulæ vulgò *pagherò*, aut litterarum cambii, onerum cameralium, communitatum, canonum, et pensionum domus: ut et si agatur de causis extra districtum summæ duntaxat recurribilis, id est, non attingentis valorem scutorum centum in quibus, (exceptis illis, in quibus Auditor cameræ, ut supra, est judex competens etiam in prima instantia) subdelegandus est Judex in partibus cum clausulis opportunis.

Una autem ex dictis cameralibus citationibus exequuta et contenta coràm Præfecto Signaturæ, aliæ non sunt attendendæ.

Quando autem hujusmodi citationes non suspendant executionem, vide additionem ad titulum de *Appellationibus*.

53. Q. IV. *Qui sint effectus citationis validæ?*

R. 1.º Citatio perpetuat jurisdictionem iudicis tam ordinariam, quam delegatam, (*l. 20. ff. de judic. c. 20. de off. deleg.*)—2.º Obligat citatum ad comparandum, nisi justa exceptio obstet, (*c. 2. de dol. et cont.*)—3.º Inducit litis pendentiam, et rem facit litigiosam, (*Clem. 2. ut lit. pend.*)—4.º Interrumpit præscriptionem odiosam 30 vel 40 an. ob negligentiam domini introductam, (*l. 7. pr. ff. C. de præscr. 30.*) Hinc etiam recoli possunt ex Pandect. *lib. II. tit. 2. 3.* usque ad XI. inclusivè.

TITULUS IV.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

54. *Nota.* Similis rubrica non extat in jure civili, sparsim tamen hæc materia attingitur, ut in seqq. videbitur. Sunt autem mutue petitiones: *conventio* quam primò actor instituit contra reum, et *reconventio* quam reus, viso actoris libello, instituit adversus actorem, vicissim aliquid ab eo petendo coràm eodem iudice, et in eodem iudicio. Ita com. ex *c. 1. 2. h. t.* Si autem reciproca ista petitio non fieret in eodem iudicio, non esset reconventio, sed simplex nova conventio.

55. Q. I. *An reus conventus reconvenire possit actorem?*

R. Affirmativè, ob æquitatem naturalem, quam insinuat *l. 14. cum Papinianus, C. de sent. et interloc.* ibi: *Cujus enim in agendo observat arbitrium, cum habere contra se iudicem in eodem iudicio non dedignetur.* Et *arg. l. 1. ff. Quod quisque juris in alterum statuerit, eodem ipse utatur; et c. 1. 2. h. t.* Atque id procedit sive coràm iudice ordinario, sive delegato (*cit. c. 2.*); ita ut actor non possit se tueri exceptione fori declinatoria, cum ex dispositione juris ipsa reconventio faciat iudicem competentem; nisi quis delegatus esset ad instantiam utriusque partis; tunc enim reus sibi imputare debet, quod causam reconventionis non curaverit exprimi in rescripto.

56. Q. II. *An Clericus in causa civili non connexa reconveniri possit coràm iudice laico?*

R. 1.º Negativè, attento jure scripto; ita Abb. Laym. et plurimi DD. contra Gloss. in *c. 1. h. t. Bald. Bart. Haun. etc. Nam Can. 5. et seqq. 41. q. 1. et c. 12. de for. comp.* cum vulgatis, Clericus absolutè prohibetur conveniri coràm laico, et is est incapax jurisdictionem exercendi in Clericum; ergò neque reconveniri potest coràm laico, cum reconventio sit species conventionis; prohibito autem genere, censentur prohibita omnes species sub illo contentæ (*l. 147. ff. de R. J.*) Quare adversariis probandum foret, quod jus alicubi excipiat causam reconventionis respectu cleri-

corum ad hoc, ut coram laico reconveniantur. Ex quo solvitur *l. 14. cum auth. C. de sent. et inter. Nov. 123. c. 23. l. 22. ff. de jud. c. 1. 2. h. t. c. 3. de rescript. in 6. ibi: apud eosdem iudices.* Nam hæc, et similia jura procedunt de actore, qui potest se subicere judici alieno, et ejus jurisdictionem in se prorogare; quod in nostro casu Clericis generaliter prohibetur (*c. 12. de for. comp.*) At si causa civilis sit connexa, admittitur mutua petitio, non tam via reconventionis, quam defensionis et exceptionis; ut si Clericus agat actione directa depositi, commodati, vel ex empto, reconveniri potest actione contraria, vel ex vendito, de evictione etc.

2.^o Consuetudo, vi cujus clericus coram laico reconvenitur, potest esse rationalis, tum ob auctoritatem DD. contrariam sententiam tenentium; tum ob tacitum consensum Papæ scientis, et non contradicentis, neque jus hoc dubium interpretantis: an scilicet reconventio sit excepta à regula generali, qua clericus coram laico conveniri prohibetur. Nequit autem clericus coram laico reconveniri in causa spirituali, ut omnes admittunt, neque puniri à laico; sed punitio, uti et exequutio rei judicatæ faciendæ est per ecclesiasticum.

57. Q. III. *In quibus causis locum habeat reconventio?*

R. In omnibus specialiter non exceptis, sive connexæ sint, sive disparatæ, ut exempto et mutuo: nam jura generaliter admittunt mutuas petitiones (*l. 1. §. fin. ff. de extraord. cognit.*) Excipitur:—1.^o Causa spoli, cum spoliatus ante omnia restituendus sit.—2.^o Causa depositi (*arg. c. fin. de deposit.*)—3.^o Causæ executivæ, seu liquidæ, quæ paratam habent executionem.—4.^o Causa appellationis, si reconventio in prima instantia non fuit proposita.—5.^o Accusatus criminaliter non potest alterum reconvenire criminaliter, quia non relatione criminis, sed innocentia reus purgatur (*l. 5. ff. de publ. judic.*); imò nec civiliter (*l. 2. §. 5. ff. de jud.*), quia causa criminalis, utpote principalis, facit silere civilem (*l. fin. C. de ord. judic.*) At conventus super delicto civiliter, reconvenire potest actorem criminaliter, et tunc causa criminalis prius tractanda est, (*Gonz. c. 1. h. t. ex cit. l. fin. C. de ord. judic.*)—6.^o Denique non admittitur reconventio reconventionis, ne in mutuis petitionibus in infinitum procedatur.

58. Q. IV. *Qui sint effectus mutux petitionis?*

R. 1.^o Prorogatio jurisdictionis ex lege descendens, (*l. 29. ff. de judic. et l. 14. C. de sent. et interloc.*) ibi: *Nulla ei opponenda exceptione, quod non competens iudex agentis esse cognoscatur.*—2.^o Proæsus simultaneus, dummodo reconventio proponatur ante vel immediatè post litem contestatam, ut ita utraque causa pari passu ambulans, simul cognoscatur, et una sententia quoad prolationem (re enim est duplex) terminetur, (*Clem. 2. §. verum de V. S. nov. 96. c. 2. §. sancimus*); quamvis prorogatio jurisdictionis inducatur per reconventionem, quandocumque, usque ad sententiam definitivam, proponatur in eodem iudicio, (*c. 3. de rescript. in 6.*)

TITULUS V.

DE LITIS CONTESTATIONE. ⁴

59. Nota I. Judicium strictè tale inchoari à litis contestatione, quæ est basis et lapis angularis totius iudicii, ut Bald. alique DD. asserunt. Hinc *litis contestatio* definitur: *Constitutio iudicii facta affirmatione unius, et contradictione alterius litigantis.* Ut si dicat actor; *affirmo narrata in libello ut narratur, et petita ut petuntur, fieri debere?* et ei respondeat reus: *nego narrata ut narratur, et petita ut petuntur, fieri debere.* Ità conformiter *c. un. h. t.*, ubi Greg. IX. dicit, litis contestationem non fieri per positiones, et responsiones ad illas, sed *per petitionem in jure propositam, et responsionem*, seu contradictionem *secutam*, putà animo ligandi.

Nota II. Litis contestationem dividi:—1.^o *In solemnem*, quæ fit conceptis verbis secundum stylum Curix; et *simplicem*, quæ fit sine certa verborum formula.—2.^o *In generalem*, qua reus indeterminatè negat narrata vera esse, ita ut non constet, an omnia collectivè neget, an etiam singula; et *specialem*, qua reus determinatè ad singula petita respondet negativè. Hic etiam aliqui addunt litis contestationem affirmativam; sed hæc communiter rejicitur, nisi affirmatio secum trahat contradictionem qualificatè, seu exceptivè oppositam: v. g. *accepi mutuum, sed jam solvi; suscepi depositum, sed hoc casu interivit.*

60. Q. I. *An litis contestatio sit necessaria ad substantiam iudicii plenarii?*

R. Affirmativè, ex *c. un. h. t.*, ubi processus aliter factus dicitur irritus. Neque actus iste partium consensu remitti potest, quia, cum solemnitates iudiciorum sint juris publici, partium consensu tolli nequeunt, ex regula *l. 38. ff. de pactis.* At in iudicio summario non opus est litis contestatione (*Clem. 2. de S. V.*); nec in notoriis, in quibus ordo juris non observatur (*c. 21. de iurej*); nec in iudicio coram] principe suscepto, cum is solemnitatibus juris non obligetur (*l. 31. ff. de LL.*)

61. Q. II. *Quibus modis inducatur, vel impediatur litis contestatio?*

R. 1.^o Litis contestatio inducitur principaliter per negationem à reo factam, vel expressè, vel tacitè, per confessionem qualificatam seu exceptivam, vel per delationem juramenti judicialis causæ decisivi: ita com. Nam his modis actor et reus verè declarant, se velle litigare. Neque hic opus est simultanea præsentia actoris et rei, sed sufficit, si reus ex intervallo contradicat coram iudice libello actoris, cum libellus semper censeatur loqui nomine actoris (*arg. l. 2. §. 2. ff. de O. et A.*) At per ex-

α—Agitur de hac materia in Sexto *h. t.*—In Codicè *lib. 3. tit. 9.* et sparsim *tit. ff. et C. de iudiciis.*

ceptiones peremptorias regulariter non inducitur litis contestatio, nisi actor replicet.

2.º Impeditur litis contestatio per expressam protestationem, qua reus dicit se respondere alio, quam litigandi animo. Item exceptione declinatoria fori, vel dilatoria, vel exceptione facti, qua reus dicit nullam actionem ortam esse, uti ex contractu de jure nullo et invalido.

62. Q. III. *Qui sint effectus litis contestationis valide factæ?*

R. 1.º Litis contestatio dat initium iudicio strictè tali, ut currere incipiat instantia (l. 13. C. de iudic.)—2.º Obligat partes quasi contrahentes, ut neuter litigans, altero invito, recedere possit, nisi pœna temerè litigantis puniri velit (§. 1. Inst. de pœn temer. litig.)—3.º Extinguit exceptiones dilatorias et fori declinatorias, nisi nova causa recusandi iudicem emergeret (c. 20. de sent. et re iud. l. 12. et fin. C. de except.)—4.º Constituit possessorem bonæ fidei in mala fide ficta, ita ut fructus non faciat suos, sed teneatur eos actori evincenti asservare et restituere (l. 22. C. de R. V.)—5.º Perpetuat actiones temporales (l. 1. §. 1. C. de annal. except.); actiones verò penales transmittit pro solido ad, et in hæredes (§. 1. inde perp. et tempor. act.), cum aliis hæredes non taneantur ex delicto defuncti, nisi quantum ad eos pervenit (l. un. in fin. C. ex delict. defunct.)—6.º Denique litis contestatio facit actionem litigiosam, missum in possessionem in iudicio reali facit verum possessorem, interruptit præscriptionem, non admittit exactionem satisfactionum de rato habendo, et iudicato solvendo, nisi procurator primò post litem contestatam constituatur (l. 40. §. 3. ff. de procur. l. un. C. de satisd.) De quibus suis locis dicitur.

Hactenus de constituendo initio iudicii. Ne verò actus judiciales quoad tempus et cognitionem perturbatè fiant, in seqq. tit. à VI ad totum XVII traditur ordinatio actuum judicialium, qui terminum probationum præcedere solent, donec, his expeditis, transeat ad probationes.

TITULUS VI.

UT LITE NON CONTESTATA, NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

63. *Nota.* In hac rubrica, quæ similem sibi in jure non habet, traditur regula negativa, quod in iudicio plenario nec testes recipi, nec sententia definitiva proferri possit ante litem contestatam. Nam testes recipiendi sunt super re in iudicium deducta; res autem in iudicium non deducitur ante litem contestatam. At in iudicio summario, in quo non requiritur litis contestatio, statim post actionem propositam testes recipi possunt. Similiter sententia interlocutoria super dilationibus et aliis incidentibus, proferri

potest ante litem contestatam. Ceterum, data regula non est sine exceptionibus.

64. Q. I. *Qui sint casus, in quibus testes recipi possunt ante litem contestatam?*

R. Seqq.:—1.º *Ex parte iudicis*, si is procedat ex officio nobili ad inquisitionem generalem delictorum (c. fin. §. sunt et alii h. t.); at in inquisitione speciali prærequiritur lis contestata, nisi citatus contumaciter absit.—2.º *Ex parte rei*; nam is ad propriam defensionem producere potest testes quocumque, et quoscumque, et in quacumque causa, sive civili, sive criminali, ne forsitan per dolum et moras actoris legitima probatione destituatur. Quo casu testes examinantur ad perpetuam memoriam; ut, si lis reo intentaretur, testes ita examinati prosint ad defensionem rei, cum in ejus potestate non sit, quando vult, conveniri.—3.º *Ex parte actoris*; nam is ante litem contestatam potest testes producere, non quocumque, sed tantum in casu periculi, ut quia timetur mors testium, eo quod isti sint infirmi, vel senes decrepiti; vel quia testes diu et procul abfuturi sunt, ut in longa aut periculosa navigatione, vel quia rem gestam memoria non retinebunt; et in omni casu, quo veritas supprimeretur, nisi testes reciperentur ante litem contestatam. Sed hoc solum in causa civili, non criminali, c. fin. pr. h. t. ibi: cum civiliter est agendum.—4.º *Ex parte causæ*, dum favor illius exigit, lite non contestata, testes recipi, vel si probationes sunt liquidæ, sententiam definitivam proferri; quod maximè accidit in matrimonio carnali, ut partes separentur, si de nullitate; vel cohærent, si de valore matrimonii clarè constat. Item in matrimonio spirituali, seu causis electionum et aliarum provisionum, si de illarum nullitate agatur, et Prælati citatus contumaciter se absentet (cit. c. fin. §. porro h. t.) At si Prælati canonicè institutus removendus est ob crimen, contumax primò excommunicatur; et si intra annum non compareat, tunc demum ad sententiam privationis et depositionis proceditur (cap. 8. de dolo et cont. et Can. 3. 37. et c. 44. q. 3.)

65. Q. II. *Quid juris, si actor producat testes ante litem contestatam?*

R. Præter citationem partis adversæ, et causam rationabilem, puta periculi mortis, vel absentia testium, requiritur, ut actor intra annum conveniat reum; vel si conveniri nequit, ei denuntiet receptionem testium; secus præsumitur fraus, et testimoniam evadunt invalida; quæ præsumptio est juris et de jure, nisi actor indirectè probet contrarium, scilicet, in sua potestate non fuisse convenire reum, vel ei denuntiare receptionem testium (cap. fin. princ. hoc. tit. et Abb. ibid.) Denique, receptis testibus, regulariter non proceditur ad sententiam definitivam, sed asservantur eorum testimonia, et deinde convento reo, cum aliis producuntur post litem contestatam. An autem eo casu, si testes sint superstites et præsentis, iterum de novo examinandi sint, dubitant DD. Negant Pax, Jordan., sed communior affirmat, cum id exigat rectus ordo iudiciorum.

TITULUS VII.

DE JURAMENTO CALUMNIÆ. ^a

66. Nota I. Calumniari in criminalibus esse, falsa crimina alteri intentare (l. 1. § 5. ff. ad SC. Turpil.); at calumniari in civilibus est vexare alterum in iudicio per fraudem et frustationem (l. 233. ff. de V. S. In hoc sensu esse posteriori hic accipitur *juramentum calumniæ*, putà vitandæ; ac definitur esse illud, quo litigantes coràm iudice asserunt, causam à se bona fide in iudicio persequendam. Unde actor jurat de bona fide in agendo, et reus de bona fide in resistendo, seu se defendendo, et uterque, quod nihil promiserit, dederit, vel daturus sit iudici, vel aliis personis patrocinii causa, excepto salario advocatorum (l. 2. cum seqq. auth. C. h. t.)

Nota II. Juramentum calumniæ, tanquam generale super tota causa, differre:—1.º A *juramento veritatis*; nam hoc emittens jurat super *scientia* et *veritate*, quod scilicet verum dicat, et ideo volenti præstare juramentum veritatis conceditur dilatio ad investigandam veritatem; econtrà emittens juramentum calumniæ jurat super credulitate, quod credat se justam causam habere.—2.º A *juramento malitiæ*, quia hoc fit super particulari articulo ante, vel post litem contestatam, et toties quoties præsumptio est de malitiosa voluntate litigantis; v. g. in petenda dilatione, opponenda exceptione etc. Econtrà juramentum calumniæ fit generaliter super tota causa, et tantùm semel post litem contestatam.

67. Q. I. An juramentum calumniæ sit necessarium ad substantiam iudicii plenarii?

R. Affirmativè, si exigatur ab altera parte; secùs processus est nullus (c. 1. 2. h. t. in 6. cit. l. 2. §. 4. C. eod.) Nam finis hujus juramenti est, ut lites calumniosæ evitentur, partes onere probandi et molestia litigandi liberentur, et veritas manifestetur. Unde à iudice, ad instantiam partis præcipiente hoc juramentum, nequit appellari, cum iudex hoc modo non gravet. Dixi *si exigatur*, nam si altera pars illud non exigat immediatè post litem contestatam, vel deinde in quacumque parte iudicii, censetur tacitè remissum, quod à jure permittitur cit. c. 1. §. propter h. t. in 6.: *Propter omissionem quoque tacitè in tota causa calumniæ juramentum, judicialis processus, aliàs factus legitime, non est nullus, nec etiam annullandus*. Nam stante hac tacita remissione, adhuc finis obtinetur, cum pars altera sit in continuo metu, ne juramentum hætenùs dissimulatum ab ea petatur; adeòque non præsumitur calumniari.—Sed arg. à sensu contrario, juramentum hoc remitti non potest per pactum expressum; tum quia pactum istud invitaret

^a.—Agitur de hac materia in Sexto h. t.—In Decreto 22. q. 1. 5.—In Pandectis lib. 2. tit. 59.

ad calumniam; tum quia juramentum calumniæ inductum est propter bonum publicum, seu sinceritatem iudiciorum; bono autem et juri publico pactis privatorum renunciari non potest (l. 38. ff. de pact.), et hic est unus casus ex specialibus, in quibus plus operatur tacitum, quàm expressum, Nec obstat c. 39. de testib.; nam juramentum testium primariò est in favorem partis, adeòque expressè remitti potest testi.

68. Q. II. An juramentum calumniæ remitti possit indulgentia Principis, vel consuetudine contraria?

R. Ad 1.ºm Affirmativè: nam juramentum hoc obsolutè de jure naturali non requiritur ad rectitudinem iudicii, sed est solemnitas juris positivi humani, in qua Princeps dispensare potest.—Nec obstat Clem. 2. de V. S. quæ in iudicio summario vult jurari de calumnia: nam in ista Clem. multa præscribuntur pro iudicio summario, quæ tamen non sunt juris naturalis.

Ad 2.ºm Negativè, ex c. 5. h. t. et c. 3. de fidej., ubi reprobatur ista consuetudo, utpote irrationalis, cum foveat malitiam et calumniam hominum. Dicunt tamen graves DD. quod in certis circumstantis, v. g. ubi homines sunt valde probi, vel econtrà valdè proclives ad perjuriam, consuetudo non jurandi de calumnia, saltèm si sit immemorialis, sustineri possit tanquam rationabilis per c. fin. de consuet.

69. Q. III. Qui obligentur ad præstandum juramentum calumniæ?

R. Regulariter omnes personæ litigantes, nisi specialiter excipiantur (l. 2. C. h. t.) Undè ad jurandum de calumnia tenentur:—1.º Actor et reus, et quidem principaliter, cum censeantur habere optimam notitiam rei, etiam si sint Clerici, religiosi, vel Episcopi per se in causa ardua litigantes (c. 5. et fin. h. t.) Cui non obstat c. 1. eod., nam procedit de Episcopo per procuratorem litigante, quo casu decet per eundem jurare de calumnia.—2.º Hæredes, et successores actoris et rei; nam fieri posset, ut testator fuerit in bona fide, ipsi verò sint in mala.—3.º Procuratores, qui jurant in animam suam, et cum speciali mandato in animam domini (c. 2. et fin. h. t. in 6.), nisi procurator daretur ex officio iudicis; tunc enim non super justitia causæ, sed tantùm super his quæ spectant ad officium procuratorium juraret (arg. reg. 24. in 6.): *quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur* etc.—4.º Tutores, curatores, procuratores generales, syndici, et administratores Ecclesiæ, monasterii, civitatis, plerùmque jurant tantùm id animam suam, non verò in animam principalis; quia illi præsumuntur habere optimam notitiam causæ, non verò domini principalis, ut pupillus, minor etc. Ob eandem rationem, si Ecclesia careat syndico, debet Prælatus et principalior pars capituli jurare in animas suas, non verò in animas omnium, cum multi vix ullam notitiam rei habeant; ità hæc omnia colliguntur ex cit. l. 2. cum aut. h. C. h. t. Advocati ex hodierna consuetudine non jurant, sed sufficit juramentum generale in susceptione officii præstitum.

70. Q. IV. In quibus causis jurandum sit de calumnia?

R. Regulariter in omnibus etiam spiritualibus, tam in prima, quàm secunda instantia, coràm iudice sive ordinario, sive delegato, sive arbitro (l. 1. 2. C. h. t. c. 1. eod. et c. 1. 2. eod. in 6.); nam in omnibus pericu-